

ipsum vero præsidem obscurissima caligine operatum vidisse; præses ira incensus, eum illico capite plecti imperat: deinde Venantium per loca vepribus et carduis consita trahi usque ad vesperam. Is cum semiánimis relictus esset, mane se iterum præsidi præsentavit, cujus jussu statim e rupe præcipitatur: sed inde etiam divinitus eréptus, dénuo per loca áspera ad mille passus tráhitur: ubi militibus siti æstuántibus, in próxima conválle, ex lápide, in quo et génuum formam reliquit, sicut etiam nunc in ejus ecclésia videre licet, crucis signo a Venántio facto, aquæ manárunt. Eo miraculo plures permóti in Christum crediderunt, quos omnes præses eo loci una cum Venántio capite feriri jussit. Fúlgura et terræmótus eo tempore ita magni fuere, ut præses aufugeret: qui paucis tamen post diébus divínam haud valens effúgere justitiam, turpissimam mortem oppétiit. Christiáni interim Venántii et aliórum córpora honorífico loco sepeliérunt, quæ Cameríni in ecclésia Venán-

tio dicata cóndita adhuc sunt. *℞. Stola.* [37]

In iij. Nocturno, Homilia.
Si considerémus. *de Comuni.* [39]

AD LAUDES.

Hymnus.

DUM nocte pulsa lúci-
fer
Diem propinquam nú-
tíat,

Nobis refert Venántius
Lucis beátæ múnera.

Nam críminum caliginem,
Stygisque noctem depulit,
Veróque cives lúmíne
Divinitátis imbuit.

Aquis sacri baptísmatis
Lustrávit ille pátriam:
Quos tinxit unda milites,
In astra misit Mártýres.

Nunc Angelórum párti-
ceps

Adésto votis súpplicum:
Procul repélle crímina,
Tuúmque lumen íngere.

Sit laus Patri, sit Fílio,
Tibique sancte Spíritus:
Da per preces Venántii
Beáta nobis gáudia.

Amen.

*Vesperæ a Capitulo de
sequenti.*

DIE XIX. MAIL.

S. Petri Cælestini

Papæ et Conf. Duplex.

Omnia de Comm. Conf.

Pont. [70] præter seq.

Oratio.

DEus, qui beátum Pe-
trum Cælestinum ad
summi pontificátus ápi-
cem sublimásti, quique il-
lum humilitáti postpóne-
re docuísti: concéde propí-
tius, ut ejus exémplo
cuncta mundi despícere,
et ad promíssa humílibus
præmia pervenire feliciter
mereámur. Per Dóminum.

Deinde fit Comm. præced.

Añã. Qui vult venire post
me, abneget semetípsum,
et tollat crucem suam, et
sequátur me. *℞. Justus.*

*Postea S. Pudentiænæ
Virg. Añã.* Veni sponsa
Christi, áccipe coronam,
quam tibi Dóminus præ-
parávit in ætérnum.

℞. Spécie tua.

Oratio.

EXáudi nos Deus salu-
táris noster: ut sicut
de beátæ Pudentiænæ Vir-
ginis tuæ festivitáte gau-
démus, ita piæ devotiónis
erudiámur afféctu. Per Dó-
minum.

*In j. Nocturno, Lectiones
de Scriptura occurrente.*

In II. Nocturno.

Lectio 1b.

Etrus, a nómine
quo Póntifex est
appellátus, Cæle-
stínus dictus, honéstis ca-

tholicisque paréntibus
Æsérniæ in Samnítibus
natus, adolescéntiam vix
ingréssus, ut ánimus a
mundi illécebris custodí-
ret, in solitúdinem secés-
sit. Ibi contemplatióibus
mentem nútriens, corpus
in servitútem rédigens,
férream caténam ad nu-
dam carnem adhibébat.
Congregatióem, quæ
póstea Cælestínorum di-
cta est, sub régula sancti
Benedícti instituit. Hinc
quasi lucérna supra can-
delábrum pósita, cum abs-
cóndi nequíret, (Romána
Ecclésia diu viduáta pa-
stóre) in Petri cáthedram
ignórans et absens ascí-
tus, magna novitátis ad-
miratióne non minus
quam repentinó gáudio

cunctos afflécit. Cum au-
tem in pontificátus subli-
mitáte collocátus, váriis
disténtus curis, assuétis
incumbere meditatióni-
bus vix posse cognósce-
ret, óneri páriter et honó-
ri voluntárie cessit. Indé-
que priscam vitæ ratió-
nem répetens, obdormívit
in Dómino, ejúsque pre-
tiosam mortem crux præ-
fúlgens in áere ante cu-
bículi óstium réddidit
ámplius gloriósam. Mirá-

culis multis tam vivens, quam post óbitum cláruit: quibus rite examinátis, Clemens quintus, anno postquam decéssit undécimo, Sanctorum número ascripit.

R. Inveni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei. **V.** Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitátis non nocébit ei. — Manus.
Ex libro Morálium sancti Gregórii Papæ. **Lib. 10. cap. xvj. in cap. xij. Job.**

Lectio v.

Deridétur justí simplícitas. Hujus mundi sapiéntia est, cor machinatióibustégere, sensum verbis veláre; quæ falsa sunt, vera osténdere; quæ vera sunt, falsa demonstráre. Hæc nimirum prudentia usu a juvenibus scitur, hæc a púeris prætio discitur: hanc qui sciunt, ceteros despiciendo superbiunt: hanc qui nesciunt, subjécti et tímidi in aliis mirántur: quia ab eis hæc eadem duplicitátis iniquitas nómine palliáta diligitur, dum mentis pervérsitas urbánitas vocátur. Hæc sibi obsequéntibus præcipit honórum cúlmi-

na quærere, adépta temporális glóriæ vanitate gaudere, irrogáta ab aliis mala multiplicius reddere: cum vires súppetunt, nullis resistentibus cedere: cum virtútis possibilitas deest, quidquid explere per malitiam non valent, hoc in pacífica bonitate simuláre.

R. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi electum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. **V.** Inveni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. — Manus.

Lectio vj.

AT contra, sapiéntia justórum est, nil per ostensiónem fingere, sensum verbis aperire, vera ut sunt diligere, falsa devitáre; bona gratis exhibere, mala libéntius toleráre, quam fácere; nullam injúriæ ultiónem quærere, pro veritate contuméliam lustrum putáre. Sed hæc justórum simplicitas deridétur: quia ab hujus mundi sapiéntibus, puritátis virtus fatúitas crédito. Omne enim quod innocénter ágitur, ab eis proculdúbio stultum putátur: et quidquid in ópere veritas áp-

probat, carnáli sapiéntiæ fatuum sonat. Quid namque stúltius vidétur mundo, quam mentem verbis osténdere, nil cállida machinatióne simuláre, nullas injúriis contumélias reddere, pro maledicéntibus oráre, paupertátem quærere, posséssa relinquere, rapiénti non resistere, percutiénti álteram maxillam præbere?

R. Iste est. [78]

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangélii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. xix. d

IN illo tempore: Dixit Petrus ad Jesum: Ecce nos reliquimus ómnia, et secúti sumus te: quid ergo erit nobis? Et reliqua.

Homilia venerábilis Bedæ Presbyteri. **Homilia in Natali S. Benedicti.**

Erfectus ille est, qui ábiens vendit ómnia quæ habet, et dat paupéribus, ac véniens sequitur Christum: habébit enim thesáurum non deficientem in cœlis. Unde bene interrogánte Petro, dixit talibus Jesus: Amen dico vobis, quod vos qui secúti estis me, in regeneratióne, cum séderit Filius hóminis in sede majestátis

suæ, sedébitis et vos super sedes duódecim, judicantes duódecim tribus Israel. In hac quippe vita pro ejus nómine laborantes, in ália præmium speráre dócuít: id est, in regeneratióne, cum videlicet in vitam immortálem fuérimus resurgéndo regenerati, qui in vitam cadúcam mortáliter erámus geniti.

R. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ induit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. **V.** Induit eum Dóminus lorícam fidei, et ornávit eum. — Et.

Lectio viij.

ET justa prorsus retribúto, ut qui hic pro Christo humanæ glóriam celsitudinis neglexerunt, illic a Christo júdices glorificati singulariter cum eo assideant, qui a sequéndis ejus vestigiis nulla ratióne póterant avélli. Nemo autem putet duódecim tantum Apóstolos, quia pro Juda prævaricánte Mathias electus est, tunc esse judicatúros, sicut nec duódecim solæ sunt tribus Israel judicandæ: alióquin tribus Levi, quæ tertiadécima est, injudicáta recédet.

✠. Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris : * Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando revertatur a nuptiis. ✠. Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit. — Et vos similes. Gloria Patri. Et vos similes.

Pro S. Pudentiana Virg.

Lectio ix.

Pudentiana virgo, Pudentis Romani filia, parentibus orbata, cum admirabili pietate christianam religionem coleret, una cum sorore Praxede pecuniam ex vendito patrimonio redactam pauperibus distribuit, seque jejuniis et orationibus dedit. Cujus etiam opera tota ejus familia, in qua erant nonaginta sex homines, a Pio Pontifice baptizata est. Quod autem ab Antonino imperatore sancitum erat, ne Christiani publice sacrificia facerent : Pius Pontifex in aedibus Pudentianæ cum Christianis sacra celebrabat. Quibus illa benigne acceptis, quæ ad vitam necessaria essent, suppeditabat. Itaque in

his christianæ pietatis officiis migravit e vita, et in sepulcro patris ad cæmeterium Priscillæ via Salaria sepulta est, decimo quarto Kalendas Junii.

Si hoc Festum alicubi alia die celebretur, et in illa non occurrat Festum simplex habens Lectionem propriam, Lectio ix. erit. Et Paulus. de Comuni Apost. ij. loco. [24]

Te Deum laudamus. 18. In Laud. fit Commem. simplicis, Añ. Simile est regnum cælorum homini negotiatori querenti bonas margaritas : inventa una pretiosa, dedit omnia sua, et comparavit eam. ✠. Diffusa est.

In ij. Vesp. ad Magnif. Añ. Dum esset summus Pontifex, terræna non metuit, sed ad cælestia regna gloriosus migravit.

Commem. sequentis.

DIE XX. MAIL.

S. Bernardini Senensis

Conf. Semiduplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont. [97] præter seq.

Añ. Similabo eum viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram.

✠. Amavit eum.

Oratio.

Domine Jesu, qui beato Bernardino Confessori tuo eximium sancti nominis tui amorem tribuisti : ejus, quæsumus, meritis et intercessione, spiritum nobis tuæ dilectionis benignus infunde. Qui vivis et regnas.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Bernardinus Albizésca, nobili Senensi familia ortus, ab ineunte ætate non obscura sanctitatis dedit indicia; nam a piis parentibus honeste educatus, neglectis puerilibus ludis, inter prima grammaticæ studia pietatis operibus animum intendit, jejuniis, orationi, et beatissimæ Virginis cultui præcipue addictus. Misericordia vero in pauperes fuit insignis : quæ quidem omnia procedente tempore quo melius posset excollere, eorum numero ascribi voluit, qui Senis in hospitali domo beatæ Mariæ de Scala Deo inserviunt, unde complures sanctitate celebres viri prodierunt. Ibi corporis afflictatione, et ægro-

tantium cura, dum atrox pestilentia grassaretur, incredibili caritate sese exercuit. Inter ceteras autem virtutes castitatem, egregia forma repugnante, sanctissime custodivit, adeo ut eo præsentem nemo unquam, ne impudentissimus quidem, verbum minus honestum proferre auderet.

✠. Honestum fecit illum Dominus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum : * Et dedit illi claritatem æternam. ✠. Justum dedit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei. — Et dedit.

Lectio v.

Gravi morbo tentatus, eoque ad quatuor menses patientissime tolerato, demum incolumis, de religiosæ vitæ instituto capessendo deliberare cepit; quo ut sibi viam muniret, ædiculam in extréma urbe condixit; in quam cum sese abdidisset, asperrimam omni ex parte vitam trahabat, Deum assidue orans, ut quid sibi sequendum esset, ostenderet; quare divinitus factum est, ut beati Francisci ordinem

præ ceteris optaret, in quo humilitate, patientia, aliisque religiosi hominis virtutibus excelluit. Id cum cœnobii rector animadverteret, jamque antea Bernardini doctrinam, et sacrarum Litterarum peritiam perspectam haberet, prædicandi onus eidem impôsuit: quo humilime suscepto, cum se minus idoneum agnosceret ob vocis exilitatem ac raucitatem, Dei ope explorata, non sine miraculo ejusmodi impedimento liberatus est.

R. Amavit eum Dominus, et ornavit eum: stolam gloriæ induit eum, * Et ad portas paradisi coronavit eum. **V.** Induit eum Dominus lorïcã fidei, et ornavit eum. — Et ad portas.

Lectio vj.

Cumque ea tempora vitis criminibusque redundarent, et cruentis factionibus in Italia, divina humanaque omnia permixta essent, Bernardinus urbes atque oppida concursans, in nomine Jesu, quem semper in ore et in pectore gerèbat, collapsam pietatem, morisque, verbo et exemplo, magna

ex parte restituit: quo factum est, ut præclara civitates eum sibi Episcopum a summo Pontifice postularent: quod ille munus invicta humilitate constantissime rejecit. Denique vir Dei immensis laboribus exhaustus, multis magnisque editis miraculis, libris etiam pie doctæque conscriptis, cum vixisset annos sex ac sexaginta, in urbe Aquila in Vestinis beato fine quievit. Quem novis in dies coruscantem signis, anno post obitum sexto, Nicolaus quintus Pontifex maximus in Sanctorum numerum retulit.

R. Iste homo. [105]

In iij. Nocturno, Homilia.
Grandis fiducia. **pro Abbatibus j. loco.** [117]

DIE XXV. MAIL.

S. Gregorii VII.

Papæ et Conf. Duplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont. [70] præter seq.

Oratio.

Deus in te sperantium fortitudo, qui beatum Gregorium Confessorem tuum atque Pontificem. pro tuenda Ecclesiæ libertate virtute constantiæ roborasti: da nobis ejus

exemplo et intercessione, omnia adversantia fortiter superare. Per Dñum.

Deinde Comm. S. Urbani I. Papæ et Mart. Añã.

Iste sanctus pro lege Dei sui certavit usque ad mortem, et a verbis impiorum non timuit: fundatus enim erat supra firmam petram.

V. Glória et honore.

Oratio.

DA quæsumus omnipotens Deus: ut qui beati Urbani Martyris tui atque Pontificis solèmnia colimus, ejus apud te intercessionibus adjuvemur. Per Dòminum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio id.



Gregorius Papa septimus, antea Hildebrandus, Suavæ in Etruria natus, doctrina, sanctitate, omnique virtutum genere cum primis nobilis, mirifice universam Dei illustravit Ecclesiam. Cum parvulus ad fabri ligna edolantis pedes, jam litterarum inscius, luderet, ex rejectis tamen segmentis illa Davidici elementa oraculi: Dominabitur a mari usque ad mare: casu formasse nar-

ratur, manum pueri ductante Numine, quo significaretur, ejus fore amplissimam in mundo auctoritatem. Romam deinde profectus sub protectione sancti Petri educatus est. Juvenis Ecclesiæ libertatem a laicis oppressam, ac depravatos Ecclesiasticorum mores vehementius dolens, in Cluniacensi monasterio, ubi sub regula sancti Benedicti austerioris vitæ observantia eo tempore maxime vigebat, monachi habitum induens, tanto pietatis ardore divinæ majestati deserviebat, ut a sanctis ejusdem cœnobii patribus Prior sit electus. Sed divina providentia majora de eo disponente, in salutem plurimorum Cluniaco eductus Hildebrandus, Abbas primum monasterii sancti Pauli extra muros Urbis electus, ac postmodum Romanæ Ecclesiæ Cardinalis creatus, sub summis Pontificibus, Leone nono, Victore secundo, Stephano nono, Nicolao secundo, et Alexandro secundo præcipuis munèribus, et legationibus perfunctus est, sanctissimi, et puris-

simi consilii vir a beato Petro Damiano nuncupatus. A Victore Papa secundo legatus a latere in Galliam missus, Lugduni Episcopum simoniaca labe infectum ad sui criminis confessionem miraculo adiecit. Berengarium in concilio Turonensi ad iteratam haeresis abjuracionem compulit. Cadaloi quoque schisma sua virtute compressit.

R. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliabitur ei. **V.** Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non nocēbit ei. — Manus.

Lectio v.

Mortuo Alexandro secundo, invitus et mœrens, unanimo omnium consensu, decimo Kalendas Maii, anno Christi millesimo septuagesimo tertio, summus Pontifex electus, sicut sol effulsit in domo Dei; nam potens opere et sermone, ecclesiastica disciplina reparanda, fidei propaganda, libertati Ecclesiae restituenda, extirpandis erroribus, et corruptelis tanto studio incubuit, ut ex Apostolorum aetate nullus

Pontificum fuisse tradatur, qui majores pro Ecclesia Dei labores, molestiasque pertulerit, aut qui pro ejus libertate acris pugnaverit. Aliquot provincias a simoniaca labe expurgavit. Contra Henrici imperatoris impios conatus fortis per omnia athleta impavidus permansit, seque pro muro domui Israel ponere non timuit, ac eundem Henricum in profundum malorum prolapsum, fidelium communione, regnoque privavit, atque subditos populos fide ei data liberavit.

R. Posui adjutorium super potentem, et exaltavi electum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliabitur ei. **V.** Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. — Manus.

Lectio vij.

DUM Missarum solennia perageret, visa est viris piis columba e caelo delapsa, humero ejus dextro insidens, alis extensis caput ejus velare, quo significatum est, Spiritus sancti afflatu, non humanae prudentiae rationibus ipsum duci in Ecclesiae regimine. Cum ab iniqui

Henrici exercitu Romae gravi obsidione premeretur, excitatum ab hostibus incendium signo crucis exstinxit. De ejus manu tandem a Roberto Guiscardo duce Northmanno ereptus, Cassinum se contulit; atque inde Salernum ad dedicandam ecclesiam sancti Matthaei Apostoli contendit. Cum aliquando in ea civitate sermonem habuisset ad populum, aerumnis confectus in morbum incidit, quo se interiturum praescivit. Postrema morientis Gregorii verba fuere: Diléxi justitiam, et odivi iniquitatem, propterea morior in exsilio. Innumerabilia sunt, quae vel fortiter sustinuit, vel multis coactis in Urbe synodis sapienter constituit, vir vere sanctus, criminum vindex, et acerrimus Ecclesiae defensor. Exactis itaque in pontificatu annis duodecim, migravit in caelum anno salutis millesimo octogesimo quinto, pluribus in vita, et post mortem miraculis clarus, ejusque sacrum corpus in cathedrali basilica Salernitana est honorifice conditum.

R. Iste est. [78]

In iij. Nocturno, Homilia.
Ut ignorantiam. de Comuni ij. loco. [88]

Pro S. Urbano I. Papa et Martyre. Lectio ii.



Robertus Romanus, Alexandro Severo imperatore, doctrina et vitae sanctitate multos ad Christi fidem convertit: in illis Valerianum, beatae Caeciliae sponsum, et Tiburtium Valeriani fratrem; qui postea martyrium forti animo subierunt. Hic de bonis Ecclesiae attributis scripsit his verbis: Ipsae res fidelium, quae Domino offeruntur, non debent in alios usus, quam ecclesiasticos et christianorum fratrum, vel indigentium converti: quia vota sunt fidelium, et pretia peccatorum, ac patrimonium pauperum. Sedit annos sex, menses septem, dies quatuor: ac martyrio coronatus, sepultus est in cimiterio Praetextati, octavo Kalendas Junii. Ordinationibus quinque habitis mense Decembri, creavit Presbyteros novem, Diaconos quinque, Episcopos per diversa loca octo.

Te Deum laudamus. 18.

In Laud. Comm. simpl.
Añã. Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. *℟.* Justus ut palma.

Vesp. a Capit. de seq.

DIE XXVI. MAII.
 S. Philippi Nerii

Confessoris. Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont. [97] præter seq. *Oratio.*

DEus, qui beatum Philippum Confessorem tuum Sanctorum tuorum gloria sublimasti: concede propitius, ut cujus solemnitate lætamur, ejus virtutum proficiamus exemplo. Per Dominum.

Commem. præced. Añã. Dum esset summus Pontifex, terræna non metuit, sed ad cœlestia regna gloriosus migravit.

℟. Justum deduxit.

Postea S. Eleutherii Papæ et Mart. Añã. Iste sanctus pro lege Dei sui certavit usque ad mortem, et a verbis impiorum non timuit: fundatus enim erat supra firmam petram.

℟. Gloria et honore.

Oratio.

Infirmi-
 tatem nostram respice omnipotens Deus: et quia pondus pro-

prie actionis gravat, beati Eleutherii Martyris tui atque Pontificis intercessio gloriosa nos protegat. Per Dominum nostrum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

LECTIO I^a.

Hilippus Neri-
 us, piis honestisque parentibus Florentiæ natus, ab ipsa in eunte ætate, non obscura dedit futuræ sanctitatis indicia. Adolēscens, ampla patrui hereditate dimissa, Romam se contulit; ubi philosophia ac sacris litteris eruditus, totum se Christo dicavit. Ea fuit abstinētia, ut sæpe jejūnus triduum permanserit. Vigiliis et orationibus intentus, septem Urbis ecclesiis frequenter visitans, apud cœmeterium Callisti in cœlestium rerum contemplatione pernoctare consuevit. Sacerdos ex obedientia factus, in animarum salute procuranda totus fuit; et in confessionibus audiendis ad extremum usque diem perseverans, innumeros pene filios Christo peperit; quos verbi Dei quotidiano pabulo, sacramentorum fre-

quentia, orationis assiduitate, aliisque piis exercitationibus enutriti cupiens, Oratorii congregationem instituit.

℟. Honestum fecit illum Dominus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem æternam. *℟.* Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei. — Et dedit illi.

LECTIO II^a.

Caritate Dei vulneratus languēbat jūgiter: tantoque cor ejus aestuabat ardore, ut cum intra fines suos contineri non posset, illius sinum, confractis atque elatis duabus costulis, mirabiliter Dominus ampliavit. Sacrum vero faciens, aut ferventius orans, in æra quandoque sublatus, mirandique luce fulgere visus fuit. Egēnos et pauperes omni caritatis officio prosequēbatur: dignus, qui et Angelo in specie pauperis eleemosynam erogaret; et dum egentibus noctu panem deferret, in foveam lapsus, inde pariter ab Angelo incolumis eriperetur. Hu-

militati addictus ab honoribus semper abhorruit, atque ecclesiasticas dignitates, etiam primarias, non semel ultro delatas, constantissime recusavit.

℟. Amavit eum Dominus, et ornavit eum: stolam gloriæ induit eum, * Et ad portas paradisi coronavit eum. *℟.* Induit eum Dominus lorīcam fidei, et ornavit eum. — Et ad portas.

LECTIO III^a.

Prophetiæ dono fuit illustris, et in animorum sensibus penetrandis, mirifice enituit. Virginitatem perpetuo illibatam servavit: idque assecutus est, ut eos, qui puritatem colerent, ex odore, qui vero secus, ex foetore dignosceret. Absentibus interdum apparuit, iisque periclitantibus opem tulit. Ægrōtos plurimos et mortui proximos sanitati restituit. Mortuum quoque ad vitam revocavit. Cœlestium spirituum, et ipsius Deiparæ Virginis frequenter fuit apparitione dignatus; ac plurimorum animas splendore circumfusas in cœlum conscendere vidit. Denique anno salu-

tis millésimo quingentésimo nonagésimo quinto, octávo Kaléndas Júnias, in quem diem inciderat festum Córporis Christi, Sacro máxima spíritus exsultatióne perácto, ceterisque funciónibus explétis, post médiam noctem, qua prædixerat hora, octogenárius obdormívit in Dómino. Quem Gregórius decimusquintus miráculis clarum in Sanctórum número rétulit.

℞. Iste homo. [105]

In *ijj. Nocturno, Homilia. Sancti Evangelii. de Comuni.* [108]

Pro *S. Eleutherio Papa et Martyre.* *Lectio ij.*

leuthérius, Nicópoli in Græcia natus, Anicéti Pontíficis Diáconus, Cómmodo imperatóre præfuit Ecclésiæ. Huic initio pontificátus súpplices lítteræ venerunt a Lúcio Britannórum rege, ut se ac suos in Christianórum número reciperet. Quamóbrem Fugátium et Damiánum, doctos et pios viros, misit in Británniam, per quos rex et réliqui fidem susciperent. Hoc Pontífice Irenæus Polycárpí discipulus Romam

véniens, ab eo benigne accéptus est. Quo témpore summa pace et quiete fruebátur Ecclésia Dei : ac per totum orbem terrárum, máxime Romæ, fides propagabátur. Vixit Eleuthérius in pontificátu annos quíndecim, dies viginti tres. Fecit ordinatiónes tres mense Decémbri, quibus creávit Presbyteros duódecim, Diáconos octo, Episcopos per diversa loca quíndecim : sepultusque est in Vaticano prope corpus sancti Petri.

Te Deum. 18.

In *Laud. fit Commem. simpl. Aña.* Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam. ℞. Justus.

Vesperæ a Capitulo de sequenti.

DIE XXVII. MAIL.

S. Bedæ Venerabilis Conf. et Ecclesiæ Doct. Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont. [97] præter seq.

In *utrisque Vesperis ad Magnif. Aña.* O Doctor óptime, Ecclésiæ sanctæ lumen, beáte Beda, divínæ legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei. ℞. Amávit eum.

Oratio.

DEus qui Ecclésiám tuam beáti Bedæ Confessóris tui atque Doctóris eruditióné clarificas : concéde propítius fámulis tuis; ejus semper illustrári sapiéntia et méritis adjuvári. Per Dóminum nostrum.

Et fit Commem. præced.

Aña. Hic vir despiciens mundum et terréna, triúmphans, divítias cœlo cóndidit ore, manu.

℞. Justum dedúxit.

Postea S. Joannis Papæ et Mart. Aña. Iste sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit : fundátus enim erat supra firmam petram.

℞. Glória et honóre.


Oratio.

DEus, qui nos beáti Joánnis Mártiris tui atque Pontíficis ánnua solemnitáte lætíficas : concéde propítius, ut cujus natalítia cólimus, de ejúdem étiam protectióné gaudeámus. Per Dóminum nostrum.

In *j. Nocturno, Lect. Sapiéntiam. de Comuni Doctorum.* [90]

In II. Nocturno.

Lectio íb.

eda Présbyter Girvi, in Británniæ et Scótiæ finibus ortus, septénnis sancto Benedicto Biscópio Abbáti Wiremuthénsi educándus tráditur. Mónachus deinde factus vitam sic instituit, ut dum se ártium et doctrinárum stúdiis totum impénderet, nihil unquam de regulári disciplina remitteret. Nullum fuit doctrinæ genus, in quo non esset diligentíssime versátus; sed præcípua illi cura divinárum Scripturárum meditatio, quarum senténtiam ut plénius assequerétur, græci hebraicæque sermónis notítiam est adéptus. Tricésimo atátis anno, Abbátis sui jussu Sacérdos initiátus, statim, suasóre Acca Hagulstádénsi Episcopo, sacros explanáre libros aggressus est : in quo sanctórum Patrum doctrinis ádeo inhæsit, ut nihil proférret nisi illórum júdicio comprobátum, eorúndem étiam fere verbis usus. Otium perósus semper, ex lectióné ad oratiónem transibat ac vicíssim ex oratióne ad lectiónem : in

qua ádeo ánimo inflam-
mabátur, ut sæpe inter
legéndum et docéndum
lácrymis perfunderétur.
Ne autem rerum fluxárum
curis distraherétur, delá-
tum Abbátis munus con-
stantissime detrectávit.

R. Honéstum fecit illum
Dóminus, et custodívit
eum ab inimícis, et a se-
ductóribus tutávit illum :
* Et dedit illi claritátem
æternam. **V.** Justum de-
dúxit Dóminus per vias
rectas, et osténdit illi re-
gnum Dei. — Et dedit.

Lectio v.

Sciéntiæ ac pietátis
laude Bedæ nomen
sic brevi cláruit, ut san-
ctus Sérgius Papa de eo
Romam arcesséndo cogi-
táverit ; quo difficíllimis
scílicet, quæ de rebus sa-
cris exórtæ erant, quæ-
stiónibus definiéndis con-
ferreret óperam. Emendán-
dis fidélium móribus, fídei
vindicándæ atque adse-
réndæ libros plures con-
scripsit : quibus tantum
sui apud omnes opinió-
nem fecit, ut illum sanctus
Bonifácus Episcopus et
Martyr Ecclesiæ lumen
prædicáverit, Lanfráncus
Anglórum Doctórem, con-
gélium Aquisgranénse Do-

ctórem admirábilem díxe-
rit. Quin ejus scripta eo
adhuc vivénte, públice in
Ecclesiis legebantur. Quod
cum fieret, quóniam ipsum
sanctum mínime appellá-
re liceret, venerábilis títu-
lo efferébant : qui deinde
véluti próprios secútis
étiam tempóribus semper
hábitus est. Ejus autem
doctrínæ eo vis effícacior
erat, quod vitæ sanctimó-
nia religiosisque virtúti-
bus confirmabátur. Quam-
óbrem discipulos, quos
multos et egrégios im-
buéndos hábuit, stúdio et
exémpló non lítteris modo
atque sciéntiis, sed étiam
sanctitáte fecit insignes.

R. Amávit eum Dómi-
nus, et ornávit eum : sto-
lam glóriæ índuit eum,
* Et ad portas paradisi
coronávit eum. **V.** Índuit
eum Dóminus lorícam fí-
dei, et ornávit eum. — Et.

Lectio vj.

Atáte demum et labó-
ribus fractus, gravi
morbo corréptus est. Quo
cum ámplius quinquá-
ginta dies deténtus esset,
consuétum orándi morem
Scripturásque interpre-
tándi non intercépít : eo
namque témpore Evan-
gélium Joánnis in popu-

lárium suórum usum án-
glice vertit. Cum autem
in Ascensiónis prælúdio
instáre sibi mortem per-
sentíret, suprémis Ecclé-
siæ sacraméntis muniri
vóluit : tum sodáles am-
plexátus, atque humi su-
per cilicio stratus, cum illa
verba ingemináret, Glória
Patri et Fílio et Spirítui
sancto, obdormívit in Dó-
mino. Ejus corpus, suavís-
simum, uti fertur, spirans
odórem, sepúltum est in
monastério Girvénsi, ac
póstea Dunclínium cum
sancti Cuthbérti reliquiis
translátum. Eum tam-
quam doctórem a Bene-
dictínis aliisque religiósus
famíliis ac diæcésibus cul-
tum, Leo décimus tértius
Póntifex máximus ex Sa-
crórum Rítuum Congre-
gatiónis consúlto, univer-
sális Ecclesiæ Doctórem
declarávit, et festo ipsius
die Missam et Offícium de
Doctóribus ab ómnibus
recitari decrévit.

R. Iste homo. [105]

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii
secúndum Matthæum.

Lectio vij.

Cap. v.

In illo témpore : Dixit
Jesus discipulis suis :
Vos estis sal terræ. Quod

si sal evanúerit; in quo
saliétur? Et reliqua.

Homília Venerábilis Bedæ
Presbyteri. **In Evang.**
Vos estis sal terræ.

In terra humana
nátura, in sale sa-
piéntia verbis si-
gnificátur. Salis enim na-
tura terra effícitur infru-
ctuósa. Unde quasdam
urbes légimus, victórum
ira, sale seminátas. Et hoc
cónvenit apostólicæ do-
ctrínæ, ut sale sapiéntiæ
compéscat in terra huma-
næ carnis luxum sæculi,
aut fœditátem vitiórum
germináre. Quod si sal
evanúerit; in quo saliétur?
Id est, si vos, per
quos condiéndi sunt pó-
puli, propter metum per-
secutiónum, aut terrórem,
amiséritis regna cæló-
rum, extra Ecclesiám pó-
siti, inimicórum oppró-
bria sustinétis non dú-
bium. Vos estis lux mun-
di : id est, vos, quia vera
luce illumináti estis, lux
eis qui in mundo sunt,
esse debétis. Non potest
cívitas abscondi supra
montem pósta : id est,
apostólicæ doctrína super
Christum fundáta; sive
Ecclesiá super Christum
ex multis géntibus fidei

unitate constructa, et caritatis bitumine conglutinata: quæ sit tuta intrantibus, et laboriosa ad euntibus, habitatores custodit, et omnes inimicos secludit.

R. Iste est qui ante Deum magnas virtutes operatus est, et de omni corde suo laudavit Dominum: * Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum. **V.** Ecce homo sine querela, verus Dei cultor, abstinens se ab omni opere malo, et permanens in innocentia sua. — Ipse.

LECTIO VIII.

Requæ accendunt lucernam, et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum. Sub modio ergo lucernam ponit quisquis lucem doctrinæ commodis temporalibus obscurat et tegit: super candelabrum vero, qui se ita ministerio Dei subjicit, ut superior sit doctrina veritatis, quam servitus corporis. Aliter Salvator accendit lucernam, qui humanæ testamaturæ flamma suæ divinitatis implévit, et hanc super candelabrum, id est Ecclesiam, posuit, quod in

frontibus nostris fidem suæ incarnationis fixit. Quæ lucerna non potuit sub modio poni, id est, sub mensura legis includi; nec in sola Judæa, sed in universo illuxit orbe.

R. In medio Ecclesiæ aperuit os ejus, * Et implévit eum Dominus spiritu sapientiæ et intellectus. **V.** Jucunditatem et exultationem thesaurizavit super eum. — Et implévit. **Gloria Patri. Et.**

Pro S. Joanne Papa et Martyre. LECTIO IX.

Moannes Etruscus, Justino seniore imperatore rexit Ecclesiam: ad quem profectus est Constantinopolim auxilii causa, quod Theodoricus rex hæreticus direxerat Italiam: cujus etiam iter Deus miraculis illustravit. Nam cum ei nobilis vir ad Corinthum equum, quo ejus uxor mansuetio utebatur, itineris causa commodasset; factum est, ut domino postea remissus equus ita ferox evaderet, ut frémitu et totius corporis agitatione semper deinceps dominam expulerit: tamquam indignaretur mulierem recipere, ex quo

sedisset in eo Jesu Christi Vicarius. Quamobrem illi equum Pontifici donaverunt. Sed illud majus miraculum, quod Constantinopoli in aditu portæ aureæ, inspectante frequentissimo populo, qui una cum imperatore Pontifici honoris causa occurrerent, cæcolum restituit. Ad cujus pedes prostratus etiam imperator, eum veneratus est. Rebus cum imperatore compositis in Italiam rediit: statimque epistolam scripsit ad omnes Italix Episcopos, jubens eos Arianorum ecclesias ad catholicum ritum consecrare; illud subjungens: Quia et nos quando fuimus Constantinopoli, tam pro religione catholica, quam pro regis Theodorici causa, quas-cumque illis in partibus eorum ecclesias reperire potuimus, catholicas eas consecravimus. Quod iniquissimo animo ferens Theodoricus, dolo accersitum Pontificem Ravennam in carcerem conjecit: ubi squalore inediaque afflictus, paucis diebus cessit e vita, cum sedisset annos duos, menses novem, dies quatuordecim:

ordinatis eo tempore Episcopis quindecim. Paulo post moritur Theodoricus: quem quidam eremita, ut scribit sanctus Gregorius, vidit inter Joannem Pontificem, et Symmachum patricium, quem idem occiderat, demergi in ignem Liparitenum: ut videlicet illi, quibus mortem attulerat, tamquam iudices essent ejus interitus. Joannis corpus Ravenna Romam portatum est, et in basilica sancti Petri sepultum.

Te Deum. 18.

In Laud. fit Commem. simpl. Aña. Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. **V.** Justus.

Vesperæ a Capitulo de sequenti.

DIE XXVIII. MAIL.

S. Augustini

Episc. et Conf. Duplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont. [70] præter sequentia. (m. t. v.)

Oratio.

Deus, qui Anglorum gentes; prædicatione et miraculis beati Augustini Confessoris tui atque Pontificis, veræ fidei luce illustrare dignatus es: concede; ut, ipso interveni-

te, errantium corda ad veritatis tuæ redeant unitatem, et nos in tua simus voluntate concordes. Per Dominum.

Commem. præced. Añã.

O Doctor optime, Ecclesiæ sanctæ lumen, beate Beda, divinæ legis amator, deprecare pro nobis Filium Dei. *v.* Justum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Augustinus Romæ in Lateranensi cœnobio mōnachus, a Gregório Magno cum sociis mōnachis fere quadraginta in Angliam missus est anno quingentesimo nonagesimo septimo, ut gentes illas ad Christum converteret. Erat eo tempore rex Ethelbertus in Cantio potentissimus, qui audita adventus Augustini causa, eum cum sociis Cantuariam, sui regni metropolim, invitavit; ibique manendi et Christum prædicandi facultatem eidem liberaliter concessit. Quare sanctus vir prope Cantuariam oratorium extruxit, ubi ipse aliquamdiu consedit, atque apostolicam vivendi

rationem cum suis æmulatus est.

R. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliabitur ei. *v.* Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non nocēbit ei. — Manus.

Lectio v.

Celēstis doctrinæ prædicatione plurimis firmata miraculis, ac vitæ exemplo sic insulanos illos demulsit, ut eorum plerisque ad christianam fidem perdūxerit, ac deum regem ipsum, quem cum innūmero suorum comitatu sacro fonte lustravit, summa cum lætitia Berthæ regiæ uxoris, quæ christiana erat. Olim in Natāli Dōmini, cum decem millibus et amplius baptismum in alveo fluminis Eboraci contulisset, quotquot ex iis morbo aliquo affecti erant, cum animæ salutē, corporis quoque sanitatem recepisse memoriæ prōditum est. Jussu Gregorii ordinatus Episcopus, sedem Cantuariæ instituit in Ecclesiā Salvatoris a se erecta, in qua mōnachos operis sui subsidiarios collocavit; et sancti Petri mona-

sterium, quod postea et a suo nomine dictum est, in suburbanis construxit. Idem Gregorius usum pallii cum facultate ecclesiasticæ hierarchiæ in Angliā instituendæ ei concessit, quo novam etiam operariorum manum misit, nempe Mellitum, Justum, Paulinum, et Rufinianum.

R. Pōsui adiutorium super potentem, et exaltavi electum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliabitur ei. *v.* Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. — Manus enim.

Lectio vi.

Dispōsitis ejus Ecclesiæ rebus, synodum habuit Augustinus cum Episcopis atque doctoribus veterum Britonum, qui in Paschæ celebratione aliisque ritibus ab Ecclesiā Romāna jamdūdum dissidēbant. Sed cum eos neque apostolicæ sedis auctoritate, neque miraculis movere posset ut dissidio cessarent, prophético spiritu eis excidium prænuntiavit. Denique maximis pro Christo exantlatis laboribus, miraculis clarus, cum Mellitum Londinensi

Ecclesiæ præfecisset, Justum Roffensi, suæ Laurentium, in cœlum migravit septimo Kalendas Junias, Ethelberto regnante, ac sepultus est in monasterio sancti Petri, quod exinde Cantuariensium Antistitum et aliquot regum conditorium fuit. Ejus cultum ferventi studio prosecutæ sunt Anglorum gentes, ac Leo decimus tertius Pontifex maximus ejus Officium et Missam ad universam extendit Ecclesiam.

R. Iste est. [78]

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij.

Cap. x.

In illo tempore: Designavit Dominus et alios septuaginta duos. Et misit illos binos ante faciem suam in omnem civitatem et locum, quo erat ipse venturus. Et reliqua. Homilia sancti Gregorii Papæ.

Homilia xvij. in Evang.

Dominus et Salvator noster, fratres carissimi, aliquando nos sermonibus, aliquando vero operibus admonet. Ipsa etenim facta ejus, præcepta sunt: quia

dum aliquid tacitus facit, quid agere debeamus innotescit. Ecce enim binos in praedicationem discipulos mittit : quia duo sunt praeccepta caritatis, Dei videlicet amor, et proximi : et minus, quam inter duos, caritas haberi non potest. Nemo enim proprie ad semetipsum habere caritatem dicitur : sed dilectio in alterum tendit, ut caritas esse possit.

R. Amavit eum Dominus, et ornavit eum : stolam gloriae induit eum, * Et ad portas paradisi coronavit eum. **V.** Induit eum Dominus lorica[m] fidei, et ornavit eum. — Et.

Lectio viij.

Ecce enim binos ad praedicandum discipulos Dominus mittit ; quatenus hoc nobis tacitus innuat, quia qui caritatem erga alterum non habet, praedicationis officium suscipere nullatenus debet. Bene autem dicitur, quia misit eos ante faciem suam in omnem civitatem et locum, quo erat ipse venturus. Praedicator enim suos Dominus sequitur : quia praedictio praevenit, et tunc ad mentis nostrae habitaculum

Dominus venit, quando verba exhortationis praecurrunt : atque per hoc veritas in mente suscipitur.

R. Sint lumbi vestri praecincti, et lucernae ardentes in manibus vestris : * Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando revertatur a nuptiis. **V.** Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit. — Et. **Gloria Patri. Et.**

Lectio ix.

Hinc namque eisdem praedicatoribus Isaias dicit : Parate viam Domini, rectas facite semitas Dei nostri. Hinc filius Psalmista ait : Iter facite ei, qui ascendit super occasum. Super occasum namque Dominus ascendit : quia unde in passione occubuit, inde majorem suam gloriam resurgendo manifestavit. Super occasum videlicet ascendit ; quia mortem quam pertulit, resurgendo calcavit. Ei ergo, qui ascendit super occasum, iter facimus, cum nos ejus gloriam vestris mentibus praedicamus, ut eas et ipse post veniens, per amoris sui praesentiam illustret. **Te Deum. 18.**

In ij. Vesp. fit Commem. sequentis.

DIE XXIX. MAIL.

S. Mariae Magdalene de Pazzis.

Virginis. Semiduplex.

Omnia de Communi Virginum [122] praeter seq.

Ana. Veni sponsa Christi, accipe coronam, quam tibi Dominus preparavit in aeternum. **V.** Specie tua.

Oratio.

Deus virginitatis amator, qui beatam Mariam Magdalenam Virginem tuo amore succensam, caelestibus donis decorasti : da, ut quam festiva celebritate veneramur, puritate et caritate imitemur. Per Dominum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio ib.

Maria Magdalena illustri Pazziorum genere Florentiae nata, fere ab incubulis iter perfectionis arripuit. Decennis perpetuam virginitatem vovit, susceptoque habitu in monasterio sanctae Mariae Angelorum ordinis Carmelitarum, se omnium virtutum exemplar exhibuit.

Adeo casta fuit, ut quidquid puritatem laedere potest, penitus ignoraverit. Quinquennium, Deo jubente, solo pane et aqua transigit, exceptis diebus Dominicis, quibus cibis Quadragesimalibus vesceretur. Corpus suum cilicio, flagellis, frigore, inedia, vigiliis, nuditate atque omni poenarum genere cruciabat.

R. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam : * Et deducet te mirabiliter dextera tua. **V.** Specie tua et pulchritudine tua, intende, prospere procede, et regna. — Et deducet te.

Lectio v.

Tanto igne divini amoris aestuabat, ut ei ferendo impar, ingesta aqua pectus refrigerare cogeretur. Extra sensus frequenter rapta, diuturnas et admirabiles ecstases passa est, in quibus et arcana caelestia penetravit, et eximiis a Deo gratiis illustrata fuit. His autem munita longum certamen a principibus tenebrarum sustinuit, arida, desolata, ab omnibus derelicta, variisque tentationibus vexata ; Deo sic